

QK. 524, 50.

B. M. II

II m
382

DE
MARCIO
 PRIMO PONTIFICE M.
 ET
FAMILIA MARCIA
 DISSERIT
 ET
 VIRO CLARISSIMO
JOANNI LVZIO
 LINDAVIENSI
 SVMMOS
IN PHILOSOPHIA
HONORES
 GRATVLATVR
 M. JOAN. DAN. RITTER
 VRAT.

DIE 19. FEBR. 1733.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALLE
 (SALE)

LIPSIAE
 STANNO BREITKOPFIANO.

BIBLIOTHECA
 POMICAVIANA

§. I.

MArcus Sabinus (quem perperam Μαρκιον (a) PLVTARCHVS nominat) Numæ auctor ut regnum Romanum suspiceret, Romam cum eo migrabat, honorisque causa a Numa Rege Senatorum numero adscriptus est. Avus hicerat Anci IV. Rom. Regis. Obitum ejus (b) PLVTARCHVS recenset: *καὶ μετὰ τὴν Νουμᾶ τελευταίην Ὀσιλλίῳ περὶ τῆς βασιλείας εἰς ἀγῶνα κατασὰς καὶ ἠττηθεὶς ἀπεναρτέησεν.* Plura non constant. Relictus ab eo filius (c) Marcius, cui prænomen Numæ, qui familias Romanorum recensuere, (d) RICHARDVS STREINNIUS, ANT. AVGVSTINVS, FVLV. VRSINVS, tribuunt.

(a) In Num. Marcus enim dicendus, quod e LIV. I. 20. patet. (b) l. c. (c) De eo PLVTARCHVS in Num. *ὁ δὲ υἱὸς αὐτοῦ (Μάρκιον) Μάρκιον, ἔχων τὴν Πομπιλίαν, κατέμεινεν ἐν Ρώμῃ, καὶ Μάρκιον ἄγκων ἐγέννησεν, οὗ μετὰ Τύλλου Ὀσιλλίον ἐβασίλευσε. Cujus filius Marcius, qui in matrimonio Pompiliam habebat, hæsit Romæ, & Ancum Marcium, qui Tullo Hostilio in regno successit, procreavit.* De Pompilia, deque Numæ liberis variæ sententiæ. Utrum enim ex Tatia, Titi Tatii, qui cum Romulo regnavit, filia, an vero ex Lucretia, quam dicitur duxisse Numa post adeptum regnum, nata sit, plane ignotum. (d) Quorum opera vid. inserta T. VII. Ant. Rom. CL. GRÆVII.

§. 2. Multum vero erravit circa Marciam gentem RICH. STREINNIUS: avum enim Anci Marcium nuncupat, fingitque primum eum creatum fuisse Pontificem M. falso ad DIONYSII, LIVII & PLVTARCHI PROVOCANS auctoritatem. Patrem Anci, uti alii, Numam dicit. Plurimum enim OMMIES LOCUS (e) TACITI movit, qui hæc habet: *Namque antea profectis domo regibus, ac mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac subitis mederetur. Ferantque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium* (præ-

(e) Annal. VI. c. II.

(praefectus urbi) *impositos*. Varios vexavit locus: recte tamen autumat CL. MVRETVS, Numam hunc patrem fuisse Anci. CL. MERCERVS vero in adiectis notis legit *Numæ N. Marcium*, i.e. Numæ nepotem Marcium; alitque opinionem, Ancum fuisse Urbi praefectum imperante Tullo, quod non modo auctores romanarum originum Marcium Regis Anci patrem hoc munere functum taceant, sed & tradiderit Livius, una eum clarum fuisse Numæ imagine.

§. 3. At longe aliter interpretanda videntur verba. (*) Etenim si qua fides TACITO adhibenda, quod Marcus sub Hostilio Urbi praefectus fuerit, alius esse non potuit, quam Anci pater. Pontifex quidem erat, sed & hoc munere fungi, subitisque absente rege, mederi potuit. Ancus certe privatam vixit vitam ante imperium, quod docet (f) DIONYSIVS: τῆτον γὰρ ἐν τῆς Νομα̃ Πομπιλίς θυγατρὸς γενόμενον ἀχθεδαί τε ὅτι ἐν βασιλείῃς γένεος πεφυκὼς αὐτὸς ιδιώτης ἦν. *Hunc Numæ Pompilii ex filia nepotem, tulisse iniquo animo privatam vitam in regio genere.* Id vero scribere non poterat historicus, ubi innotuisset, dignitate eum Urbi Praefecti fuisse ornatum. Avum Anci Marcum Tullo ad fastigium regium sublato inter vivos esse defuisse jam memoravimus.

(*) Commentum Merceri observavit quoque CL. REINESIVS in Inscript. p.354. (f) Antiquit. III. c. 48.

§. 4. Magis autem miramur (g) SENECAM ita scribentem: *Cum Ciceronis Libros de republica prehendit hinc Philologus aliquis, hinc Grammaticus, hinc Philosophice deditus: alius alio curam suam mittit. Philosophus admiratur, contra justitiam dici tam multa potuisse. Cum ad hanc eandem lectionem Philologus accessit, subnotat, duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Servii matre dubitatur: Anci pa-*

ter nullus; Numæ nepos dicitur. Ita LIPSIVS locum restituit, in notis addens, Anci patrem famæ traditum non exstare. Verum jam diximus PLVTARCHVM de eo tradidisse, neque dubium nobis est, quin in priscis annalibus, ad quos sæpenumero provocat, & avi & patris Anci uberior memoria facta sit. Finxisse eum nomina, non ausim proferre. FRANC. PATRICIVS quoque observavit lacunam hæcere in adductis Senecæ verbis, quam ita supple-
re conatus est: *Anci pater etiam ignoratur, nisi quod is Rex Ancus Marcius, Numæ nepos dicitur.* Cod. MS. ita habent: *Anci pater Marcius Numæ nepos dicitur.* Nos hinc colligimus, neglectum fuisse a librariis τὸ ipse, Senecæ in epistolis maxime (h) familiare, legendumque esse: *Anci pater Marcius, ipse Numæ nepos dicitur.* Neque movet nos LIPSIVS, qui, quo Codices MS. suspectos redderet, hæc scripsit: *Nonne adversum mentem Senecæ diserte ista? Negabat alterum regem, id est, Ancum patrem habuisse: ecce, nominat Marcium.* Accuratus enim vir non attendit τὸ dicitur, quod minime dubitationem removet a verbis Senecæ.

(g) In epistol. 108. lectu dignissima. Nepotem ex filia DIONYSIVS quoque appellat Lib. II. 78. *ὡς δὲ Γέλ. Γναί. ἰσοπέ, θυγατέρα μόνη, ἐξ ἧς ἐγένετο Ἄγκ. Μάρκι, ὁ τρίτ. ἀπ' ἐκείνης γενόμεν. Ρωμαίων βασιλεύς.* Add. Lib. III. 48. (h) Exempli loco esse poterit epistol. 73. pluresque alia.

§. 5. Sed inquirendum est, quid de prænomine Marcii Pontificis statuendum sit. *Numam* appellat TACITVS: PLVTARCHVS nomen hoc tacet. (i) Nobis videtur TACITVS a mendoso Codice Livii (cujus apud eum est magna auctoritas) seductus, Anci patrem Numam dixisse. (k) LIVIVS enim, ubi de constituto Pontifice a Numa scribit, hæc habet: *Pontificem deinde Numa Marcium, Marci filium ex patribus legit:* ubi & in quibusdam Cod. MS. & impressis plurimis, *Numam Marcium* invenimus. (l) Alii tamen

tamen libri lectionem fervant accuratam. Equidem CL. SIGONIVS in notis, displicere sibi *Numa*, ait, & *Numam* legit, statuens vacare nominativum, altiusque repetendam esse totam orationem ex initio cap. XIX. Tacitumque idem asserere. Sed nondum ab eo evicta veritas. Certe altius repetiit nominativum, quam LIVII scribendi ratio id permittebat. *Quis* enim tam incuriosus ejus lector est, qui non animadvertat, sapissime *Romuli*, *Tulli*, *Anci* cæterorumque Regum nomina ab eo repeti? Accedit, quod dignitas Pontificis reliquas anteibat: sentientque omnes, Livium, ubi enarrandi initium fecit, noviter introducti honoris, repetiisse regis auctorisque nomen; (m) id quod & τὸ *deinde* svadet. TACITVS autem, uti monuimus, e Livio potius emendandus videtur.

(i) THOM. REINESIVS in Syntagm. Inscript. p. 353. saxum adducit in quo Marcius Numæ prænomine insignitus est;

NVMÆ MARCIO M. F.
PRINC. IVVEN.
PRÆF. URB.
I. PONT. M. &c.

Sed plenum suspicionis est, quod & REINESIVS negare non potuit. Nec adinuenti sunt quibus satisfaceret ejus auctoritas. (k) Lib. I. 20. (l) Ita legit editio Andr. Aleriens. Episcop. Joan. Anton. Campani, Lugdunensis de an. 1537. Wecheliana, de an. 1588. (m) Magis erit res perspicua, ubi verba cap. 21. pensitabuntur; ita autem ibi: *Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua. quo quia se per saepe Numa, sine arbitris, uelut ad congressum Deæ inferebat, Camænis eum lucum sacravit.* Videmus hic Livium Regis nomen addere, quod tamen bene, si secundum SIGONIVM altius nominativum repetiisset, omittere poterat: continua enim serie de Pontifice M. Jovè Elicio, jurisjurandi fide, pace perpetua, pergit ad memoratum lucum, indeque iterum non addito nomine de aliis disferit.

§. 6. Jam gentem Marciam fide historicorum restitutam, exhibemus. (n)

MARCVS Sabinus, Numam ad regnum suscipiendum hortatus, cum eo migravit Romam. In Senatum lectus est a Numa. PLYT.

X 3

MAR-

MARCIVS, MARCI filius, in matrimonium accepit Pompiliam, Numæ filiam, a quo PONT. M. creatur, secundum LIV. secundum TACITVM, a Tullo Rege PRÆF. URBI factus.

ANCVS MARCIVS, MARCII F. MARCI nepos, ROM. IV. REX. Septem bella feliciter gessit, de Vejent. Latin. triumph. REGN. AN. XXIV. DIONYS. III. LIV. I.

MARCIVS ANCI F. MARCII Nepos, & MARCIVS, ANCI F. MARCII Nepos. Cum L. Tarquin. Priscum interfecissent, a Servio Tullio exilio multati. DIONYS. IV. LIV. I.

(n) Ipsa RICH. STREINNIJ verba subjungimus, quo magis pateat differentia. Vid. ea in Thesaur. Ant. Rom. CL. GRÆVII T. VII. P. 1077.

MARCIA GENS.

MARCIVS Sabinus, Numam ad regnum suscipiendum hortatus, cum eo Romam migravit. In Senatum lectus a Numa. Primus PONT. M. creatus est. PLVT. in Num. LIV. DIONYS.

NVMA MARCIVS, MARCII F. in matrimonium accepit Pompiliam Numæ Regis filiam, a Tullo Rege PRÆF. VRBI est creatus. TACIT. lib. V.

ANCVS MARCIVS, NVMÆ F. MARCII nepos Rom. REX IV. Septem bella feliciter gessit, de Vejentibus, Latin. triumph. REGN. AN. XXIV. DIONYS. III. LIV. CASSIOD. EVTROP.

MARCIVS ANCI F. NVMÆ nepos, & MARCIVS ANCI F. NVMÆ N. cum L. Tarquinium Priscum Regem interfecissent, a Servio Tullio in exilium acti sunt. LIV. DIONYS.

§. 7. Tandem constabit LIVIVM minus esse accuratum, ubi Tanaquilem dixisse refert: *Ancum Sabina matre ortum, nobilemque (o) una imagine Numæ esse.* Tribus enim inclaruerat, avorum, Numæ Marcique, & Marcii patris, quos omnes ab eodem auctore citari notavimus.

(o) Ex

(o) Ex imaginum enim multitudine omnem Romani censebant nobilitatem. Imago autem quid sit, est apud POLYB. Lib. VI. 51. ἡ δὲ εἰκὼν ἐστὶ πρόσωπον εἰς ὁμοίότητα διαφερόντως ἐξεργασμένον, καὶ κατὰ τὴν πλάσιν, καὶ κατὰ τὴν ὑπογραφὴν. Cerae erant antiquissimis temporibus, hinc & a Poëtis μετωνυμικῶς cera dicta: OVID. FAST. I. v. 591.

Perlege dispositas generosa per atria ceras.

JUVENAL. Sat. VIII. v. 19.

*Tota licet veteres exornent undique ceras
Atria, nobilitas sola est atque unica uirtus.*

Inventorem huius generis imaginum habet PLIN. XXXV. 1. Non autem corpus representabant integrum, sed vultum usque ad pectus; hinc HORATIO Lib. II. ep. I. sunt, *picti vultus*. Ponebant eas in atris, PLIN. XXXV. 2. *Apud majores nostros in atris hæc erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, ærea aut marmorea, expressi cera vultus, singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.* Prælatas enim fuisse, cum ex-fequiæ fierent, POLYB. l. c. habet: ἐπὶ τὴν δὲ τῶν ὀκειῶν μεταδίξις τις ἐπιφανὴς ἄγασιν εἰς τὴν ἐκφορὰν, περιτιθέντες ὡς ὁμοιωτάτοις εἶναι δοκῶσι κατὰ τὸ τὸ μέγεθος, καὶ τὴν ἄλλην περιμοτήν. HORAT. Epod. VIII. 2.

Esto beata, funus atque imagines

Ducant triumphales tuum.

TACIT. Annal. III. extrem. *Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatae sunt.* PLAVT. Amphit. Act. I. Scen. I. v. 304. ubi Sofia a Mercurio male habitus, qui ejus imaginem assumperat, post multas tandem querelas dicit: *Vivo fit, quod nunquam quisquam mortuo faciet mihi.* Ubi quidem statuit KIRCHMANNVS de funer. Rom. IV. 8. Sofiam respicere ludos gladiatorios, qui fiebant in funeribus illustrium; sed nobis probatur LAMBINI interpretatio; (rejecta a Kirchmanno) nimirum respicere Sofiam imagines anteferri solitas: & idem suadent antecedentia: *Nam hic quidem omnem imaginem meam quæ antehac fuerat possidet.* Elegantissimus est locus SEN. de benef. III. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiae suae longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant: noti magis, quam nobiles sunt.* Observat LIPSIVS stemmata minores & rotundas imagines fuisse, quæ ad latus adfixæ genus maternum aut propinquos notaverint. Ita enim PLIN. XXXV. 2. *Stemmata vero lineis discurrerant ad imagines pictas.* Et NEAPOL. in not. ad cit. l. Ovid. τὸ *perlege*, ostendere putat, in basi nomina gesta quæ ejusque subscripta. VAL. MAX. Lib. V. 8. PLIN.

PLIN III. ep.3. SEN. ep.74. FRANCIS. MODIVS in Novant. Ep. 28. Tandem notamus fumosas dictas, quod, cum Larium ignis servaretur in atrio, fumo obfuscabantur. JUVEN. Sat. VIII. v. 8.

Fumosos equitum cum Dictatore magistrros.


Imo inde atria dicta statuunt, quod ex fumo atra essent; quamvis VARRO ab Atriatibus Thuscis derivet *de L.L. p.43.* Hinc ob fumum imagines thecis sive armariis erant includenda, quæ festis diebus aperta, ornatas multa opera conspiciendas exhibebant. POLYB. I.c. τάντας δὲ τοῖς εἰκόνας ἐν τε τοῖς δημοτελέσι θυσίαις ἀνοίγοντες κοσμήσι φιλοτίμως. Plura LIPSIUS *Elect. Lib.I. c. 29. p.m. 742.*

§. 8. Plura forsan poterant de schedis depromi, ipsum Anci nomen & alia Livii illustrantia: Sed jam pauca sufficiant, quæ TIBI VIR CLARISSIME, Sacra volui. Etenim persuasus sum, non mediocre ingenium TVVM ex hoc studiorum genere capere delinimentum: imo publice id testatus es. Et certe non poterant non omnes magna augurari, qui singularem ardorem animi, continuosque labores pensitabant. Neque spes sefellere. En Amplissimus Philosophorum Ordo hoc ipso die Summos TIBI decrevit in Philosophia Honores, quos merita TVA postulabant. Quam ego inde percepi lætitiã, publice expono, atque ex Animo gratulor. Velim TE DEVS servet diu incolumem, & ad majora feliciter capeffenda præparet animum.



QR 524.50

B. m. II



B.I.G.

Farbkarte #13

DE
MARCIO
 PONTIFICE M.
 ET
IA MARCIA
 DISSERIT
 ET
 CLARISSIMO
NI LVZIO
 INDAVIENSI
 M M O S
ILOSOPHIA
 ONORES
 GRATVLATVR
 N. DAN. RITTER
 VRAT.

IE 19. FEBR. 1733.

LIPSIÆ
 ANNO BREITKOPPIANO.

